Hispalen. Decimarum.

Reu. Pater. NImis breuiter D. exaduerso Scribens in discussione huius causæ se expedit, nullam assumendo articulorum discussionem, sed procedens cum suppositis insubsistentibus contra Iuris dispositionem, contra Doctorum inconcussam opinionem, & contra Resolutiones Sacræ Congregationis, & hac quidem methodo facilè est omnibus scribere, sed quod magis miror redarguit de ineptia nostram Instantiam pro Signatura Commissionis cum clausula *refectis expensis in §. Misso enim* ibi = *Misso enim sermonem facere super illa contraria Instantia refectionis expensarum, vtpotè cuius ineptitudo satis per se ipsam loquens releuat nos ab vlteriori confutatione*: Nimis enim verò audax est ista animaduersio, quià debebat probare, in quo consistat instantiæ ineptia, sed nihilominus parcendum D. exaduerso Scribenti ex ratione *Textus in l. qui cum vno in fine, seù verbis finalibus ff. de re militari*, quia si nouisset dispositionem *Text. in cap. final. de offic. delegat. in 6.* nostram instantiam de ineptia non redarguisset: In dicto enim textu Bonifacius Octauus subjjcit Regulares recurrentes ad Conseruatorem pro auocatione causæ Iudicialem indaginem requirentis excommunicationi, & expensarum refectioni, quæ pœna fuit innouata à sa. me. Gregorio XV. in sua Constitutione *la* 9.

Eadem pœna, & grauior irrogatur à dicta Constitutione eiusdem Gregorij, quoties Regulares in deputatione Conseruatoris non seruant formam in dicta Constitutione præscriptam; vndè satis miramur quo pacto de inepta redarguitur Instantia fundata in dispositione Sacrorum Canononum, Constitutione Apostolica, & communi Doctorum opinione.

Ex duplici censura tenentur Aduersarij ad expensarum refectionem; primò quia recursum habuerunt ad assertum Iudicem conseruatorem pro auocatione causæ indaginem Iudicialem requirentis, vt est *Textus expressus in d. cap. fin.* cuius verba transcripsi in mea facti §. *Verum quatenus, & §. Quoad primam partem*: Hæc autem pœna fuit innouata a Gregorio XV. *in dicta sua Constitutione* 9. cuius verbo transcripsi in mea facti §. *Quodque pars*.

Secundò eadem pœna eo ipso afficiantur ex eadem Summi Pontificis Constitutione, quoties Regulares in deputatione Conseruatoris formam in d. Constitutione præscriptam non seruarunt, vt ex lectura Constitutionis apparet: proindè supplicamus RR. PP., vt iuxtà formam præscriptam à Sacris Canonibus, & Gregoriana Constitutionem dignentur commissionem signare cum clausula *refectis expensis*, quia tunc cognoscet D. exaduerso Scribens Instantiam non esse ineptam, sed desumptam ex dispositione Sacrorum Canonum, & quoad pœnas, & censuras, in quas eo ipso inciderunt Fratres Aduersarij consulant eorum conscientiæ.

Summoperè quoq; miror de Partis strepitu in relatione facti §. *Ad recurrendum*, ex quo inuehit contra Reuerendissimum Capitulum

quod.

quod *eo vsq; processerit eius temeritas, vt non erubuerit recursū habere in maximum Ecclesiasticæ libertatis vilipendium ad Tribunal laicale.*

Possemus quidem Parti hunc strepitum condonare, & Reuerendiss.Capitulum à quocumque calumnia eximere, si Regulares Aduersarij simili pice non essent inquinati in hac eadem causa, nam D.exaduerso Scribens legere poterat processum actitatum coram Vicario Generali, vbi in folio 153.legitur reuersus habitus ex parte Aduersariorum ad Regium Tribunal aduersus decretà interposita à Vicario Generali, *& fol.* 156. legere poterat Decretum, quod Aduersarij obtinuerunt à Regio Tribunali, *& fol.* 158. adest productio d. decreti, & illius vsus. Vndè si ambæ Partes recursum habuerunt ad Tribunal laicale, quemadmodum ex nostra parte fuit silentio prætermissus recursus habitus ab Aduersarijs prudentiori fundamento debebat à Parte quoque reticeri recursus habitus ex parte Procuratoris Reuerendiss.Capituli.

Prætendit Pars Aduersa causam esse ad eorum Conseruatorem remittendam, primo quia agitur de manifestis iniurijs, & secundo quià etiam si ageretur de causa iudicialem indaginem requirente, cum eorum Religio habeat amplissima Indulta Greg. XV., & Innocentij XII. super communicatione priuilegiorum cum omnibus alijs Religionibus, & præsertim cum illa Societatis Iesu: quemadmodum PP.Societatis Iesu habēt amplissima priuilegia exemptiua à solutione decimarum, & etiam indultum, vt debeant in causis ciuilibus conueniri coram eorum Conseruatore, ita etiàm in causis ciuilibus PP.Aduersarij conueniri debent coram suo Conseruatore.

Ista quidem RR.PP.dici possunt argumenta, & fundamenta inepta, & ineptissima contrà dispositionum Sacrorum Canonum, & communem omnium Doctorum opinionem, & contrà apertissimam dispositionem eorumdem priuilegiorum, quæ pro suo fundamento allegantur, vt mox probabimus.

Insipidum quidem est primum fundamentum, quod scilicèt versemur in casu manifestarum iniuriarum, quià ex lectura vtriusque processus apparet nos versari in casu causæ meræ ciuilis requirentis indaginem Iudicialem, quia agitur de Iudicio introducto super solutione decimarum. In huiusmodi enim causis Regulares non solum non sunt exempti, sed subiecti Iurisdictioni Ordinarij, vt probaui in mea facti §.*Et quidem cum seq.* neque Conseruatores habent vllam Iurisdictionem in causis Iudicialem indaginem requirentibus, quarum cognitio spectet ad Ordinarium, prout ex Iuris dispositione Constitutionibus Apostolicis, Doctorum auctoritatibus, & Resolutionibus Sac.Congregationis probaui plenè calamo in mea facti.

Neque potest prætendi manifesta violentia ex eo, quod Ordinarius Hispalen. mandauit mensurari frumenta collecta pro Partium indemnitate, nàm non credimus posse dari decretum magis prudentiale, & iustum, scilicèt decernere, vt mensuraretur frumentum collectum Anno 1716. pro Partium cauthela, ne posset Conductor decimarum defraudari in casu, quo Aduersarij tenerentur decimam soluere.

Indu-

Indubitanter quià Aduersarij nullo penitus priuilegio docuerunt esse exemptos a decimarum solutione, neque priuilegium Clementis V. de quo *in Summario Partis num.*5. Aduersarios eximit à solutione Decimarum, sed solum illas eximit à Iurisdictione Ordinariorum, quæ exemptio ad causas ciuiles non extenditur.

Minus exemptionem à solutione Decimarum prætendere possunt ex quo Gregorius XV., & Innocentius XII. Aduersarij communicauit priuilegij alijs Religionibus competentia, & præsertim illa PP. Societatis Iesu; qui quemadmodum gaudent amplissima exemptione à solutione Decimarum, ità vigore generalis communicationis priuilegiorum eadem exemptione gaudere debeant Aduersarij.

Nam prætermisso, quod illa dici potest simplex communicatio Indulgentiarum, vt ex lectura videtur apparere, dicimus, quod dato etiam quod ptiuilegia, de quibus *in Sum. Partis n.* 6., *&* 7. continerent amplissimam, & effrenatam communicationem priuilegiorum competen. Ven. Societati Iesu, adhuc tamen sub ista amplissima communicatione priuilegiorum quacumque verborum formula concessa numquàm venit, nec comprehenditur exemptio à solutione Decimarum iuxtà inconcussam DD., & Sac. Rotæ opinionem, vt per *Fagnan. in cap. nuper de Decimis num.*34., *Barbos. de Parochis par.* 3. *cap.*28. §.3. *num.* 21., *Rot. decis.* 89. *post Tamburrin. de Iur. Abbat. tom.*3., & magistralitèr *Rota coram Cerro decis.* 593. *num.* 4., *& in recent. decis.*5. *num.*16. *par.* 14., & passim cum sit principium absolutissimum.

Multoque minus vigore prædictæ communicationis priuilegiorum prætendere possunt Ius deputandi Conseruatorem cum specifica, & indiuidua facultate cognoscendi causas ciuiles Regularium, quià in hac materia hebemus Regulam, & theoricam, quod sub generali priuilegiorum communicatione non veniunt ea, quæ sunt difficilis concessionis, & quoties concernunt Tertij præiudicium, vt plenissime probat *Reuerendiss. Petra ad Constit. Apostolicas tom.*2. *in Const.*2. *Anastasij IA. sect.*3. *num.*11., *Pignatell. consult.*1. *num.* 32. *tom.*10., *Rot. dac.*704. *num.*13. *coram Buratto, & dee.*101. *num.*3. *coram Caualer.*, & probat quoque *Card. de Luc. de Iurisd. disc.*29. *num.*7.

Aut itaque Aduersarij vigore communicationis Priuilegiorum Gregorij XIII., & sa. mem. Innocentij XII. prætendunt habere Ius deputandi Conseruatorem cum IurisdictioneConseruatoribus Iure communi attributam, & credimus id posse importare priuilegiorum communicationem; Aut habere facultatem deputandi Conseruatores cum illa Iurisdictione speciali, vt contrà dispositionem Iuris communis possit cognoscere de causa ciuili iudicialem indaginem requirente, & quià illud esset contrà Ius commune, & præiudiciale Iurisdictioni Ordinariorum, & aliquibus tantum Religionibus à Sede Apostolica concessum, nec soleat passim concedi, vt testatur *Card. de Luca de Regular. disc.*52. vtiquè hoc speciale priuilegium conseruatorię venire nequit sub generali priuilegiorū cōmunicatione, & ratio est clara; nam cum omnes religiones regulares habeant

beant

beant priuilegiorum communicationem, vtique frustrà DD., & Sac. Congregatio Concilij distinxissent, vt tùnc Conseruatores regularium habeant cognitionem causarum indaginem iudicialem requirentium quoties Indulto speciali sint suffulti: Secùs verò si Regulares indulto speciali sint destituti, vt plenè probaui in mea Facti §. *Verum quatenus*, & §. *Tunc enim possunt*.

Verū D. exaduerso Scribens de his rectè instrui poterat ab eodem tenore priuilegiorum tam Gregorij XIII. quam sa. me. Innocentij XII., prout rectè agnouisse ostendit circumstantia, quod in *suo Summ. n. 6. & 7.* integraliter non transcripsit dd. priuilegia, sed mutilatè quoad illas clausulas, quæ intentionem Aduersariorum euertunt: Nam in vtroque priuilegio tam Gregorij, quam Innocentij adest illa clausula ibi = *Quatenus sint in vsu, & Sacris Canonibus, & Decretis Concilii Trid. non aduersentur*. *Vt ex Summ. n. 5. litt. A. & Summ. n. 6. litt. B.* ibi = *Con tale però che siano in vso, e non reuocate, nè compresi sotto di alcuna reuocatione, nè contrarie alli Sacri Canoni, nè alli Decreti del Sac. Concilio Tridentino* = quæ clausulæ ostendunt Summum Pontificem noluisse Aduersarijs communicare priuilegia alijs religionibus concessa, quæ non essent in vsu, vel aduersarentur dispositioni Sac. Canonum, & Concilij Tridentini, vt rectè aduertit *Reuerendiss. Petra ad Constit. Apostolicas tom. 4. ad const. 10. Gregorius XI. num. 15. Rot. dec. 222. num. 1. coràm Mantica, & dec. 190. n. 15. cor. Pen., & dec. 40. nu. 4. par. 4. rec.* Cum autèm facultas deputandi Conseruatorem cum illa speciali Iurisdictione, vt Conseruator possit cognoscere causas ciuiles Regularium in prima Instantia requirentes indaginem iudicialem sit contrà expressam iuris dispositionem *in cap. fin. de offic. deleg. in 6.*; prohibentem Conseruatoribus cognitionem causarum iudicialem indaginem requirentium, vtique hoc speciale priuilegium, quod Patribus Societatis Iesu specialiter concessum fuit, non venit, neque compræhēdi potest sub generali priuilegiorū communicatione ex apertissima mente Summorum Pontificum, qui d. priuilegia concesserunt, quatenùs non essent contraria dispositioni Sacrorum Canonum.

Ptereà addimus tertium fundamentum deductum in nostra Facti à D. exaduerso Scribente non animaduersum, neque præcognitum, quod scilicèt Aduersarij assertum eorum Conseruatorem non deputarunt seruata forma præscripta in Gregoriana Constitutione, & proindè omnia per eum gesta sunt circumscribenda tanquàm nvlla, & Aduersarij subiecti remanent iurisdictioni Ordinarij, vt probaui in mea Facti §. *Quinimò plus probaui*. Vndè meritò speramus rescribendū *ad Ordinarium refectis expensis, & circumscriptis omnibus gestis per assertum Conseruatorem*.

Quarè &c. *Vitus Angelus Caualletti*.

Resolutio Signaturæ Iustitiæ die Iouis 19 septbris 1720
ad Ordinarium Hispalensem, circumscriptis omnibus gestis coram Conseruatore, et refectis expensis =

Congregatione Signaturę Iustitię
R. P. D. MERLINO
Hisp len. Decimarum.
Pro Illmis DD. Decano, & Capitulo Patriarcalis Ecclesiæ Hyspalen.
Contra RR. PP. Trinitarios Calceatos Ciuitatis Hyspalen.